MASTER NEGATIVE NO. 93-81316-14

AUTHOR:

MERGUET, HUGO

TITLE:

DE USU SYNTACTICO INFINITIVI LATINI...

PLACE:

REGIMONTI PR.

DATE:

1863

Master Negative #

93-81316-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Merguet, Hugo 1841-1911
De usu syntactico infinitivi Latini maxime poetico
Regimonti Pr. 1863 0 43 p
Doctor's dissertation at Königsburg university


No. 6 of a vol of dissertations


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 4-23-93 INITIALS MG-Y
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
USU SYNTACTICO INFINITIVI LATINI, MAXIME POETICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA, QUAM AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS A. D. X. CAL. APR. ANNI MDCCCLXIII H. XI. L. C. PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HUGO MERGUET.
PILLAVIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

O. de GOLENSKI, STUD. PHIL.
G. MUELLER, STUD. PHIL.

REGIMONTI PR.
TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

DR. C. LEHRS
PROF. P. ORD. IN ACAD. ALBERT.

DR. L. FRIEDLAENDER
PROF. P. ORD. IN ACAD. ALBERT.

PRAECEPTORIBUS

GRATO ANIMO

AUCTOR.

Pars I.

De vi et natura infinitivi.

Cum quid Alexandrini grammatici de infinitivi natura dixerint jam egregie contulerit et exposuerit R. F. L. Skrzeczka in progr. Regiomontano 1861: Die Lehre des Apollonius vom Verbum dritter Theil; vom Modus: mihi non nisi pauca ex hac dissertatione excerpenda sunt, quibus cognosci possit, quo eorum doctrina spectet. Et Apollonius quidem (synt. 228) opinionem refellens, infinitivum esse adverbium, eundem appellat *ῥῆμα γενικώτατον* (ib. 229, 1; 230, 6), quo ceterae verbi formae comprehendantur et, accedente verbo auxiliari, significari possint. Dicit enim (ib. 220): *περιπατῶ* = *ὡρισάμην περιπατεῖν*, *περιπατοῖμι* = *εὐξάμην περιπατεῖν*, *περιπάτει* = *προσέταξα περιπατεῖν* [cf. 207, 15 *οὐκ ἐμποδίζεται* (*ἡ ἀπαρέμφατος*) *καὶ ἀντὶ πασῶν ἐγκλίσεων παραλαμβάνεσθαι παρατιθεμένου τοῦ ἰδιώματος τῆς ἐγκλίσεως, καὶ πάλιν πᾶσαν ἔγκλισιν εἰς ταύτην ὑποτρέφειν*]. — Appellat autem infinitivum *ὄνομα πράγματος*, quo *ῥήματαπροαιρετικά*, quorum vis non plenam notionem contineat, compleantur; et *ὄνομα ῥήματος*, hoc est integram verbi notionem. Sed deinde de usu infinitivi agens et appositum articulum explicans facere non potest, quin eum, si non nomen, at certe nomini simillimum et cum nomine nonnullis notis cognatum esse putet. Huic autem doctrinae ceteros quoque Alexandrinos plus minus assentiri, ex ipsa illa dissertatione licet cognoscere.

Priscianus de infinitivi natura fere idem docet, quod Apollonius, ut (I, 425 v. 9. ed Keil): »Infinitus est, qui et personis et numeris deficit«; et (II, 226, 6): »Significat autem infinitum ipsam rem, quam continet verbum; »currere« enim est »cursus,« et »scribere« »scriptura« et »legere« »lectio.«« Conferas ceteros locos, quibus de infinitivo agitur, in indice hujus editionis collatos.

Sunt qui nostra aetate de infinitivo scripserint: cum quidem nulli eorum omnibus ex partibus assentiar, mihi illos praetermittere meamque ipsius sententiam jam nunc explicare liceat.

Infinitivus integra atque nuda quodammodo verbi notio est. Unaquaeque lingua duo habet genera vocabulorum notiones absolutas significantium. Quae genera non tam notione, quae inest, ipsa differunt, quam diversa ratione, qua (accommodate ad naturam vel substantivi vel verbi) notionem illam circumvestiunt quodammodo atque effingunt, ut sui generis ei nota imprimatur. Ipsam enim notionem saepissime in utroque genere invenies, ex eadem etiam radice effictam, sed charactere suo et nota, quam diximus, affectam, ut: »currere« »cursus«. Est autem verbi natura fluida, substantivi firma et stabilis; illud actionem significat, hoc rem; illud indicat quod fit, hoc quod est. Atque eo efficitur, ut multae notiones non nisi alterutri generi aptae sint, ut nomina concreta, verba incohativa, alia. Praeterea huic verbi et substantivi diversitati apta est ratio, qua nomina attributiva eis adjunguntur. Nam praeter illas absolutas notiones altera classis earum est, quae vim habent attributivam, qua fit, ut non absolute, sed solum ad notionem absolutam accuratiore aliquo indicio ornandam attributive possint adhiberi. Cum quidem verbum et substantivum plane diversam naturam habeant, etiam notio attributiva ut ad utrumque applicari possit, duplicem formam accipere debet, quae est adjectivi et adverbii. (Adjectivum autem si ipsum tali attributiva notione accuratius definiendum est, cum naturam participio similem habeat, sicut verbum definitur, i. e. adverbio, ut: vehementer laetus.) — Interiori huic diversitati externa sive grammatica utriusque generis forma respondet, declinationem dico et conjugationem, quae nata est necessario quodam impetu ex facultate significandarum relationum utrique generi propria. In universum cum relationis indicio integra ac pura et nominis et verbi notio arctiore quodam gyro circumscribatur et certo colore inducatur, verbi notio ut multo se latius diffundens relationibus ejusmodi integrae notioni admixtis multifariam variatur. Quid quod ne simplicissima quidem forma, praesens absolutum i. e. temporis relatione vacuum, verbi notionem integram exhibet, sed subjecto inhaerentem. Quo fit, ut forma desideretur integram notionem nulla relatione admixta significans; quae forma est infinitivus (et infinitivus quidem praesentis absoluti; nam ceteris infinitivis jam temporis relatio adhaeret). At contra nominis notio, nullo relationis indicio admixto, integra servatur in duabus formis, quarum altera indicat, hanc notionem absolute dictam sententiae esse subjectum, quae est nominativus, altera notionem aptam reddit, quae verbum compleat. (i. e. acc.) Hi enim casus nihil nisi in universum indicant, nomen esse subjectum aut verbi complimentum; ceteri autem distinctam et certis finibus circumscriptam nominis relationem significant, ad quam notandam certo terminationis indicio multo magis opus est. Accusativum internum (ut: quid stas?) a tali relatione plane differre, satis patet, cum accusativus externi objecti ad relationis vim jam propius accedat. Nexus enim complementi cum voce compteta arctus est et internus, relationis autem solutus et externus. Quoniam quidem et nominativus et accusativus nominis notionem fere integram exhibent, sicut infinitivus notionem verbi, fit, ut inter hunc et illum utrumque casum affinitas quodammodo sit, quae quatenus usu probetur, infra videbimus.

Pars II.

De infinitivi usu.

Cum Priscianus de hac re dicens (II. p. 224 v. 23 seqq. 229, 21; 374, 14) infinitivi usum magis confundere et turbare, quam illustrare videatur, jam illo omisso mihi liceat exponere, quomodo equidem hunc usum explicandum esse putem.

Infinitivus 1) proprie adhibetur iis locis, quibus aliquod verbum altera verbi notione completur sive definitur; deinde 2) per abusum quodammodo locum occupat absolutum.

A. De proprio infinitivi usu.

Infinitivus cum propriam suam naturam servans nimis debilis sit quam qui absolute dici possit, non adhibetur nisi ad aliud verbum complendum (ergänzen). Completur autem verbum ex notione, quam continet, aut plena aut plus minus debilitata, triplici ratione; complementum enim est aut 1) concreta res (objectum), aut 2) certa et definita actio (accusativus cum infinitivo), aut 3) indefinita notio. Infinitivum, cum ex vi et forma sua ad hunc usum per se aptus sit, hac ratione, quam tertiam enumeravi, adhiberi debere, satis patebit. Sed expectabimus, idque merito, fore, ut etiam alterum genus vocabulorum notiones absolutas significantium, dico nomen absolutum (i e.

substantivum aut nomen substantive dictum), hunc locum occupare possit. Quod concedendum videretur, nisi contra monendum esset, non quamlibet notionem absolutam ita adhiberi posse, sed solum certa quadam natura instructam. Nam infinitivi et formam et vim ad hunc locum occupandum jam per se aptam esse, supra diximus; itaque videamus, num nomen aeque atque ille utraque ex parte huic usui par sit. Et de forma quidem disputari non potest, quoniam illa ipsa forma accusativi nomen aptum reddit, quod verbum compleat. Habet accusativi forma eandem naturam, quam infinitivi, neque hic ab illo differt nisi eo, quod hic continet notionem verbi, ille nominis. Cum quidem verbum quo debilius est, eo debiliorem minusque definitam notionem pro complemento desideret, nominum notiones, maxime substantivorum, quae per se sunt duriores firmioresque, quam verbi, fere non adjunguntur nisi verbis, quae ipsa satis firmam notionem aut habent aut accipiunt (ut: doceo te litteras); quo fit, ut infinitivus his verbis appositus vim substantivi in accusativo positi habere videatur (ut: Cic. leg. agr. III., 2: Docebo Rullum posthac tacere; — et: id Pis. 30 Docere aliquem litteras). Multo autem saepius, quam substantivo, verbum compleri poterat indefinito quodam adjectivi neutro substantive dicto (ut: multum possum, nihil volo). Sed prorsus nihil impediebat, quominus omnibus locis, quibus integra notio pro complemento exigebatur, etiam si ipsae nominum notiones non aptae erant, tamen, notione omissa, vacua accusativi forma adhiberetur, quae indicaret, hoc loco integram aliquam notionem desiderari (ut: hoc possum, scribere; quid vis? ire; cf. Plaut Mil. 1321 Istuc crucior; id. Rud. 833: Quid est quod caveam? ib. 397: Id maestast. id. Trin. 87: Qui tu id prohibere me potes? id. Poen. I, 3, 1: Quid nunc mihi es auctor? Ter. Andr. 157: Id operam do; alia). I).

Praeterea jam hoc loco mentio facienda est rationis, qua complentur verba motum significantia. Haec enim verba et e nomine et e verbo quod sibi aptum visum est excerpentia hujus notionem illius forma circumvestiunt, qua compositione, cui est nomen supino, compleantur (ut: rus habitatum abiit). Pro qua quidem forma etiam nudam notionem, quam exigunt, i. e. infinitivum possunt admittere (ut: eo visere). — Desiderant autem haec verba pro complemento puram verbi notionem, idcirco, quia quae inter eadem intransitiva sunt, cum verbis voluntatis, quae transitiva sunt, cum verbis causativis cognatam vim habent (ut: eo facere = volo facere; mitto aliquem facere = jubeo aliquem facere).

Quae vis postea in linguis Romanis etiam magis in lucem provenit (ut: je vais dire = volo dicere).

Actionis autem notio si non absolute dicitur, subjectum exigit, a quo perficiatur, quod aut jam alia ratione significatum est, aut proprium infinitivo adicitur, et accusativi quidem forma; qua re structurae existunt solius infinitivi et infinitivi cum accusativo conjuncti, quas deinceps mihi liceat explicare.

1. De solius infinitivi usu.

Infinitivus verbi, cui adicitur, et nimis vagam vim coercet et nimis attenuatam complet. Verba autem, quae tale complementum exigunt, in duas classes distribui possunt, in 1) personalia, quorum notio subjecto adhaeret, et in 2) impersonalia, quorum notio non ad subjectum relata, sed per se absolute praedicatur.

I. Verborum personalium altera pars indicat actionem se ipsam circumcludentem quodammodo et coercentem (quae solent appellari auxiliaria), altera ad aliam personam pertinentem (quae sunt causativa sive factitiva).

1. Verba auxiliaria quae dicuntur actionem significant per se tam late diffluentem, ut infinitivo apposito opus sit notare, quibus finibus coercenda et includenda sit. Verbi causa in sententia »Caesar Romam proficisci constituit« significatur, illud »constituere«, quod per se indefinitum est, non nisi ad »proficisci« referendum esse.

Quae verba, quin primo habuerint plenam et maxime quidem transitivam vim, dubitari non potest, praesertim cum etiam postea objectum non raro admittant (ut: te volo. Ter.; Plaut. Arma volo, Verg. — Conferas alias quoque structuras, quae non nisi verbis cum satis plena notione adjunguntur, ut: Plaut. Amph. 769. Vin proferri pateram? Capt. 362: Volt te novos erus operam dare. Amph. 902: Potin ut abstineas manum? cf. Mil. 926; Trin. 628; Bacch. 751; Pseud. 264; 235; 940., ib. 633: potest, ut.. — Asin. 67: Atque ego me id facere studeo. Quae construendi rationes cum maxime apud antiquiores auctores legantur, licet concludere, haec verba tunc etiam plus ex propria sua vi servasse, quam postea.) Sed ipsa eorum significatione effectum est, ut magis magisque attenuarentur, et ita attenuarentur, ut fere jam non actionem, sed quasi modum agendi indicarent. Cum igitur hac ratione eo redigerentur, ut ipsorum vis debilior esset.

quam quae sola de subjecto praedicaretur, aliam actionis notionem desiderabant, qua suam firmarent et complerent. Quae quidem notio, cum omnes praedicati relationes jam illo verbo auxiliari significarentur, non nisi simplicissima forma, i. e. infinitivo erat indicanda. Cum igitur verbum auxiliare significet agendi modum, infinitivus actionem, fit, ut utrumque compositum certum modum actionis infinitivo notatae indicet; utraque vox alteram ita definit et coercet, ut quasi in unam vocem coalescentes eam vim, quam dixi, accipiant. II.). — Numerus autem horum verborum initio haud dubie satis exilis postea magis magisque auctus est, et maxime quidem a poetis. Hi enim detrita illa solutae orationis verba respuentes alia cognatae significationis ita debilitarunt, ut et ipsa ad vim auxiliarem depressa infinitivum admitterent. Sed propriae suae significationis aliquid servantia haec verba notionem verbi auxiliaris, cui applicata sunt, continent certo colore inductam (ut: opto = libenter volo). Quo colore admixto non raro satis longe ab hoc cognato verbo recedunt, ita, ut jam paene cum eo in unam classem redigi posse non videantur (ut: propero = volo, et ita quidem, ut ipse quod volo quam celerrime perfecturus sim).

2. Praetera infinitivus adjungitur verbis causativis, qui significet actionem, ad quam perficiendam persona a verbo causativo affecta excitatur. Quamquam igitur persona cum actione infinitivo significata primo nihil commune habebat, tamen, cum persona simul actionis subjectum esset, non mirum videbitur, linguam etiam syntactica structura utramque conjungere studuisse: quae conjunctio ita effecta est, ut in unam sententiam connecterentur, vis autem futuri, quam habere debebat, ei attribueretur aliqua particula verbi causativi significationi apta (ut, ne, quin, quominus); ut: »impedio, quominus venias«, pro: »impedio te venire«. Praeter quam sententiam appositam etiam personae casus servari poterat, ut: »impero tibi, ut eas.« Sed linguae Latinae etiam alia ratione uti licuit, et simpliciore quidem, qua personam et infinitivum connecterent. Primo enim sententia »jubeo te venire« dissolvenda erat: »jubeo,« quem? »te«, quid? »venire«. Pro qua quidem dissolvendi ratione, praesertim cum satis subtilis esset, jam mature videtur altera extitisse, eam dico, qua personae casus a verbo causativo avulsus simpliciter pro subjecto infinitivi habebatur eique applicabatur. (Usitatissima enim accusativi c. inf. constructione haec conjungendi ratio Romanis satis probari debebat). Quo facto jam dissolvendum erat: »jubeo, quid? »te venire«, ita, ut »te venire« complementum esset, et unum quidem et simplex, verbi causativi. Puto autem, ob eandem causam dativum, qui hoc loco videtur esse proprius casus, non raro mutatum esse accusativo, id quod Priscianus et ipse docet, cum dicat (II., p. 227, 13). »Illud etiam in hoc modo contemplandum, quod verbis praeceptivis, quibus dativi adjunguntur, possumus et accusativos copulare infinitis consequentibus, ut: »jubeo tibi currere«, et »jubeo te currere«; »impero tibi proficisci«, et »impero te proficisci«; »praecipio tibi legere«, et »praecipio te legere«.« Cum quidem soluta oratio accuratiorem sententiae appositae structuram plerumque adhibere mallet, poetae potius usi sunt magis concinna magisque stricta infinitivi, quam ne iis quidem verbis adjungere dubitarunt, quibus ipsi per licentiam poeticam vim causativam attribuebant (ut: do = permitto). Facta autem illa, quam exposui, personae et infinitivi conjunctione, verbum causativum jam non significabat aliquem incitare, ut actionem perficiendam susciperet, sed solum efficere, ut actio a certo subjecto perficienda fieret. Quae vis cum non minus verbis voluntatis jam non plane debilitatis inesset, factum est, ut et ipsa, quamquam solum personae casum non accepissent, tamen conjunctam illam structuram non respuerent (ut: volo te adesse, volo ut adsis). —

II. Praeterea infinitivum admittunt **verba impersonalia.** Verbum autem, quod re vera est impersonale, notionem, quam continet, non subjecto adhaerentem, sed per se absolutam praedicari significat; id quod optime iis locis apparet, quibus tale verbum hac ipsa sua notione et aliquo verbo neutro circumscribitur, ut: libido est = libet, facultas datur = licet, alia. Infinitivus autem exigitur, qui indicet, ad quam actionem illa impersonalis notio pertineat (ita ut »libet mihi loqui« paene idem sit quod: »libido mihi est loquendi«). Si quidem praeterea etiam persona ab illo verbo impersonali affecta significatur, cum eadem subjectum sit actionis infinitivo notatae, idem fit, quod jam supra vidimus: utrumque conjunctum aut accusativi c. inf., aut sententiae appositae formam accipit (ut: licet venias, pudet te loqui). III).

2. Accusativus cum infinitivo.

Accusativus c. inf. iis locis adhibetur, quibus infinitivi actio suum sibi subjectum exigit. Qui accusativus cum modo servetur, modo fiat nominativus, satis difficilis est ad explicandum.

Cum in nostra lingua eadem structura multo rarius reperiatur, expectaveris, idque merito, fore, ut eo melius ejus origo quae sit perspici possit. Adjungitur autem, si omittis verba causativa (laſſen, heißen) non nisi verbis sensuum perceptionem significantibus (i. e. ſehen et hören) et eandem quidem quominus putem originem esse in lingua Latina nihil video, quo impediar. Desiderant autem haec verba primum quidem objectum, quod percipiatur (ut: video te). Si vero etiam accuratius significatu opus erat, qua actione occupatum illud objectum perciperetur, tum infinitivus optime accedere poterat illam actionem indicans; quae origo antiquorum auctorum usu probatur (ut: Plaut. Amph. 755. Audin illum? — Ego vero, ac falsum dicere). Deinde infinitivus cum accusativo eadem, quam supra exposui, ratione coalescens vim accipere debebat simplicis complementi verbo finito additi. Qua quidem re hujus constructionis naturam prorsus mutatam esse jam videbimus. Primo enim nihil significabatur nisi objectum aliqua actione accuratius definitum; at contra accusativo ad infinitivum attracto actio indicatur certo subjecto definita: accusativus, qui antea principatum quodammodo tenuerat, ita depressus est, ut jam nihil nisi inferior pars totius complementi facta sit. Hac autem via munita structura facillime vim formulae actionem significantis poterat inire; quo effici debebat, ut accusativus immutatus servaretur.

Sed mutata vi usus etiam mutari debebat. Verba enim sensuum perceptionem significantia, quoniam concretam rem, quae re vera oculis aut auribus percipi possit, pro complemento desiderant, potius utebantur simili participii constructione substantivo appositi (ut: video te venientem). Accusativus autem cum infinitivo ad verba cognatae significationis transiit, verba dico, quae animi perceptionem indicant, quae aut fit (verba sentiendi) aut facta editur (verba dicendi); quibus verbis accusativus c. inf., cum abstractam actionem, qualem illa verba pro complemento desiderant, significaret, aptissimus esse debebat. Videtur autem hac cognata significatione eorum incerta quaedam originis accusativi c. inf. memoria servata esse, qua efficeretur, ut accusativus, quamquam jam non erat objectum, tamen, sententia passive dicta, nominativo mutaretur (ut: hoc fecisse diceris). Sed interdum etiam haec verba accusativum immutatum servant (ut: Cic. fam. 15, 1: Nuntiabatur Parthos transiisse Euphratem); id quod in perfecto passivo ex regula est (ut: te venisse nunciatum est): quod nescio an ea de causa factum sit, quia illud complementi

subjectum, quod ad inferiorum locum depressum esse supra vidimus, si verbum regens ei non solum personaliter, sed attributive applicatum esset, nimis praevaluisset (ut: »venire tu dictus es«, qua structura subjectum »tu« magis sustentatur, quam in sententia: »tu venisse diceris«).

De circumscriptionibus.

Adjungitur autem infinitivus non solum ipsis, quae enumeravi, verbis, verum etiam iis locutionibus, quae illa verba aliqua ratione circumscribunt, dummodo, propria singularum vocum natura remissa, satis ad simplicem verbi circumscripti vim accesserint. Circumscribendi autem ratio triplex est: aut personalis, aut impersonalis, aut attributiva; quibus terminis quid intelligi velim, jam expositurus sum.

1. Personalis circumscriptio fit substantivo et alio verbo personali (ut: operam do = studeo). Sin autem hae duae voces, propria natura rejecta, sicut dixi, quasi in unam coaluerunt notionem, quae est verbi circumscripti, tum non minus quam illud infinitivo possunt compleri (ut: operam do bene loqui.)

2. Impersonalis verbi circumscriptio substantivo composita est, quod verbi circumscripti notionem absolutam continet, et verbo neutro, quod illam notionem per se esse et absolute praedicari indicet (ut: mos est = soleo, impersonaliter dictum). Quae circumscriptio, si ad vim verbi impersonalis satis applicata est, infinitivo et ipsa potest compleri, neque solum apposito, verum etiam omisso praedicato (ut: Plaut. Capt. 985: Quia jam mos est oblivisci hominibus).

3. Attributiva ratione verbum circumscriptum est, si subjecto suo non solum adhaeret, sed et accuratius applicatum et cum eo etiam grammatica forma conjunctum sese praebet. Quod quamquam simplicissime efficeretur verbo in participium et verbum auxiliare dissoluto (ut: »cupiens sum« pro »cupio«), tamen hoc modo nihil significaretur, nisi quod ipsum verbum indicat. Sin autem adjectivum cognatae significationis pro participio ponitur aut ipsi participio vis adjectivi attributa est (ut: potens), notio verbi ita circumscripti jam alio quodam colore inducta, i. e. subjecto arctius applicata eique sicut perpetua facultas inhaerens significatur (ut: »laetus sum« non = laetor,

sed = »perpetua laetitia teneor«). Nihilo minus, et maxime quidem poetae, etiam talibus circumscriptionibus idem complementum adicere non dubitarunt, quod verbum circumscriptum sibi assumpsisset: quo fit, ut nonraro habeat infinitivum (ut: cupidus sum hoc facere). Neque mirum videbitur, eandem structuram ibi servari, ubi verbo auxiliari rejecto solum adjectivum legitur (ut: Hor. catus jaculuri). Quo quidem usu magis magisque pervulgato fieri non potuit, quin infinitivus, cum, memoria originis structurae deleta, non videretur nisi vim adjectivi coercere, etiam talibus adjectivis, quorum vis ab aliquo participio infinitivum desiderante jam satis abhorrebat, adjungeretur, ut adjectivi vim accuratius definiret (ut: Hor. celer sequi). Quid quod interdum cum paene supervacaneus sit, non videtur appositus esse, nisi quo elocutio fieret plenior atque grandior (ut Hor.: niveus videri).

Restat, ut paucis mentionem faciam infinitivi, qui dicitur historicus. Quae structura re vera est inopia omnis structurae; notiones enim non conjunguntur, sed solum sine nexu grammatico altera alteri asseruntur. Quo fit, ut et nomen simplicissima forma significetur, nominativum dico, (hac enim de causa hoc loco poni videtur, neque idcirco, quia casus subjecti est), et verbum infinitivo. Sententia, quae habet infinitivum historicum, quasi materia sententiae est, quam jam formare et constructione conjungere debes, ut sententia fiat.

B. De infinitivo substantivi loco posito.

Fit interdum, et per abusum quidem, ut infinitivus substantivi locum occupet. Jam supra vidimus, infinitivum integram et nudam verbi notionem esse, nomen autem et ipsum integram notionem continere eandemque accusativi forma aptam reddere quae verbum compleat, nominativi, quae subjectum sit: accusativi naturam esse complentem, nominativi aasolutam. Cum quidem infinitivi natura et ipsa complens sit, fit, ut idem cum accusativo arctius cognatus sit, quam cum nominativo, id quod jam supra exposui. Sed accusativus a nominativo non ita multum distat; imo ea intercedit affinitas, ut nemo sit, quin sentiat, quanto dativus exempli gratia longius distet a nominativo, quam accusativus. Quod ipsum declinatio ostendere videtur, cum in neutro eadem

forma absoluta et complens sit, i. e. cum accusativus et nominativus neutrius eandem formam habeat. Itaque non mirum videbitur, etiam infinitivum absolutam vim accipere, i. e. subjectum fieri posse, dummodo praedicatum ei aptum sit, i. e. vim verbi neutrius habeat. (Quo fit, ut praedicatum sit aut substantivum ut: »alios adjuvare res honestissima est«, aut adjectivum, ut: »difficile est servare aequitatem,« aut alter infinitivus, ut Lucr. III., 359: »Dicere porro oculos nullam rem cernere posse.... desipere est (cf. ib. 793; V. 156; 1039), aut genetivus possessivus, ut: »miserarum est neque amori dare ludum neque cett.«, aut locutio tali verbo similis, ut: »haud scio an satis sit eum injuriae suae poenitere«, aut simile quoddam). Cum quidem propter indefinitam et debilem suam naturam merum substantivum nunquam fieri posset, certas et distinctas ceterorum casuum relationes (ad quas indicandas flexionis terminationibus jam magis videtur opus esse) significandas remisit gerundio et cognatis substantivis verbalibus.

Nihilo minus interdum et maxime quidem apud poetas infinitivus cum vi mere substantiva reperitur, et subjecti loco, ita ut praedicatum habeat propriae suae naturae non aptum (ut: Pers. 6, 38: Postquam sapere urbi cum pipere et palmis venit), et objecti, ita ut e verbo transitivo pendeat (ut: Pers. 1, 121: Hoc ego opertum, hoc videre meum, tam nil, nulla tibi vendo Iliade). A prosa autem oratione hic usus omnino alienus est, atque si interdum in eadem ita legitur, factum est alia singulari causa (ut: Cic. fin. II., 27 »Beate vivere alii in alio, Epicurus in voluptate ponit«; quo loco Cicero pro »beate vivere« haud dubie scripsisset »beatam vitam«, nisi philosophiam tractans et proprio ejus sermone utens illam ipsam vivendi notionem distincte significare voluisset).

Quibus expositis mihi jam accuratius de quibusdam rebus dicere liceat, quae supra, quo dilucidior res esset, non nisi breviter notavi.

1) ad p. 8. De accusativo complementi. Non dubium est, quin similes sint accusativi plenis verbis additi, ut; »quid stas? quid rides?« Haec enim verba quamquam cum jam ipsa plenam notionem contineant, alia compleri non possunt, tamen hanc ipsam, quae iis inest, licet accuratius definias, id quod plerumque fit adverbio adjecto (ut: dulciter ridere). Sed licet etiam

hanc notionem, quae in sententia »quid rides?« (= quem risum, quid risus rides?) non nisi obiter neutro notatur, excerpens e verbo separate nominis forma indices eique accuratam illam definitionem adjective apponas, ut: »dulcem risum ridere«; quem accusativum appellari »ejusdem originis aut cognatae significationis«, quis est qui nesciat. Quid quod interdum, cum illa notio non distincte dicta, sed solum indefinite cogitata scriptori neutrius formam (sicut in sententia »quid rides?«) habere videretur, adjectivum neutrum verbo additum est, ut: »dulce ridere« (Hor.). Quod quamquam idem est atque Graecum illud ἡδὺν γέλωτα γελᾶν et ἡδὺ γελᾶν, tamen Latinum usum e Latina quam e Graeca lingua explicare malo.

II) ad p. 10. De verbis auxiliaribus. Sane cavendum est, ne opineris, verba auxiliaria vim habere relationis. Relatio enim aut sola terminationis forma significatur, aut verbo, quod jam nullam notionem continens nihil nisi vacuam formam notat. In Latina autem lingua notionem suam tam plane amittit unum verbum »esse«; quo fit, ut significare possit perfectum passivum, cujus propria forma, quae haud dubie antea fuit, plane deleta est. At contra cetera verba atque etiam ea, quae sunt maxime debilitata, propriam suam notionem nunquam omnino abiciunt. Quapropter magno errore vexatur qui putet, »volo dicere« esse idem quod »dicam« neque »dictum habeo« differre a »dixi«: Haec quorundam verborum debilitatio, quamquam in Latina lingua initium cepit, tamen demum multo post in linguis Romanis perfecta est, ut: he will say = dicet, »J have said, j'ai dit = dixi.«

III) ad p. 11. De verbis impersonalibus. Ab his verbis impersonalibus segreganda sunt alia verba, quae cum speciem ejusdem strusturae praebeant, et ipsa abusive impersonalia vocantur, ut: restat, juvat, alia. Haec enim verba sunt personalia, i. e. notionem verbi subjecto inhaerentem significant, atque si impersonaliter legi dicuntur, nihil in iis mutatum est, nisi quod pro alio subjecto habent infinitivum; at contra impersonalia, cum jam subjectum, quod ipsorum notio est, sicut dixi, contineant, infinitivum non admittunt nisi pro complemento. Efficitur autem hac diversa vi diversa etiam conjugatio. Impersonalia enim cum subjecto adici non possent, praeter tertiam personam singularis aliam formam accipere fere non poterant (ut: taedet, miseret, alia), cum verba, quae infinitivum subjecti loco habent, per omnes formas declinari possent (ut juvat, delectat, fugit, al.). Nihilominus interdum fit, ut idem verbum et impersonale sit et plenam con-

jugationem habeat (ut: vacat et vaco); quod quidem fieri non potuit, quin vis verbi personalis in impersonali plane mutaretur (ut: vacat = tempus est, vaco = tempus habeo, cf. verba: refert et refero, interest et intersum). Videntur autem omnia verba impersonalia significatione ita mutata e personalibus orta esse, cum et personalis forma interdum reperiatur (ut: Plaut. Cas. V, 2, 3: Ita nunc pudeo atque ita nunc paveo; Gell. n. A. V, 1, 3. Quis-quis ille est, qui audit, nisi ille est plane deperditus, inter ipsam philosophi orationem et perhorrescat necesse est et pudeat tacitus et paeniteat et gaudeat et admiretur, varios adeo vultus disparilesque sensus gerat, proinde ut eum conscientiamque ejus adfecerit utrarumque animi partium, aut sincerarum aut aegrarum, philosophi pertractatio. Enn. ap. Non. 7, 68 Miserete annis, date ferrum, qui me anima privem id. ap. Prisc. I, 428, 15 Keil: Cogebat hosteis lacrimantes ut misererent. Lucr. III, 895. Ipse sui miseret, cf. Prisc. I, 561, 9.), et aliae formae ad illam referendae sint (ut gerundia poenitendus, pudendus). Ac nescio an memoria hujus personalis significationis factum sit, ut Romani accusativos neutros impersonalibus appositos (ut: hoc mihi licet) pro subjectis eorundem verborum habentes etiam pluralem iis addere non dubitarent (ut Sen. de clem. I, 18: In servum omnia licent.)

Quibus expositis singula mihi liceat exempla enumerare, et ea quidem maxime, quibus usus a solita oratione abhorrens videtur probari. Et maxime quidem illustrandum mihi proposui usum Horatii, a quo poeta totum infinitivi usum multo liberiorem factum esse perspectis exemplis nemo negabit; itaque ex hoc auctore omnia exempla mentione digna contuli. Praeterea quo melius perspici possit, quo tempore unusquisque usus aut ortus sit aut jam pervulgatus fuerit, etiam omnia exempla ex omnibus antiquioribus poetis collegi, qui sunt: Ennii (ed. Vahlen), comicorum, tragicorum reliquiae (ed. O. Ribbeck), Terentii (ed. Fleckeisen), Plauti fabulae (Menaechmi, Mostellaria, Mercator, Persa e rec. Ritschl; Amphitruo, Captivi, Miles, Rudens, Trinummus, Asinaria, Bacchides, Curculio, Pseudulus, Stichus e rec. Fleckeisen, ceterae e textu vulgari), Varronis satur. Menipp. reliquiae (ed. F. Oehler), Lucretius, Catullus. Deinde ut aliquatenus certe cognosceretur, qualis infinitivi usus apud Horatii aequales reperiatur et qualis post eundem factus sit, addidi exempla e Tibullo, e Vergilii bucolicis et Aen. I—III, ex Ovidii amoribus (ed. Merkel,

e Persio, e Statii Achilleide et silvarum I et II collecta. Denique pauca exempla e Catonis et Varronis rerum rust. libris inserui, quibus quatenus prisca illa prosa oratio a Ciceronis elocutione in usu infinitivi abhorreret, ostenderem. —

Exempla.

A. De proprio infinitivi usu.

I. Verba auxiliaria.

1. Verba voluntatis. a) affirmativa.

α) cum natione secum reputandi:

cogito Cic. off. I, 7, 9 Qui nocere alteri cogitat,

meditor Ter. Ad. 896 Meditor esse adfabilis. Hor. sat. II, 3, 263. An potius mediter finire labores, id. od. III, 25, 5. Aeternum meditans decus stellis inserere. cf. od. III, 8, 23; IV, 12, 22; Verg. Aen. I, 673; Pers. 5, 161.

digno Trag. rel. pag. 81 Cum neque me aspicere aequales dignarent meae. ib. p. 86 Quis deos infernos quibus caelestis dignet decorare hostiis.

dignor Hor. od. IV, 3, 14. Romae dignatur suboles inter amabiles vatum ponere me choros cf. ep. I, 19, 40; II, 6, 86; Lucr. II, 10, 39; Verg. buc. 6, 1.

destino. Stat. Ach. I, 199. Qua nato secreta velit, quibus abdere terris destinet.

probo Hoc. c. 1, 15 Sive tu Lucina probas vocari seu Genitalis,

annuo Enn. an. 136 Adnuit sese merum decernere fervo. Catull. 64, 229. Quae nostrum genus ac sedes defendere Erechthei annuit.

faveo Enn. an. 376. Matronae moeros complent spectare faventes (cf. Servius in Georg. I, 18: Favere enim veteres etiam velle dixerunt).

amo Hor. od. III, 9, 21. Tecum vivere amem. od. III, 16, 10. Aurum perrumpere amat saxa. sat. II, 3, 20. Olim nam quaerere amabam. od. I, 2, 50. Hic ames dici pater atque princeps. od. II, 3, 10. Umbram hospitalem consociare amant ramis, epod. 8, 15. Quid quod libelli stoici inter sericos jacere pulvillos amant. sat. I, 10, 60, Amet scripsisse ducentos ante

cibum versus. sat. II, 3, 214. Si quis lectica nitidam gestare amet agnam, ep. I, 14, 8. Tamen istuc mens animusque fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra.

β) cum natione cupiditatis (cupio):

opto Enn. an. 551. Omnes mortales sese laudarier optant. Plaut. Asin. 608. Quor tu opsecro immerito meo me morti dedere optas? id. Bacch. 725. Nimis [hic] bellus atque ut esse maxume optabam locust, id. Aul. pr. 11. Inopemque optavit potius eum relinquere, Ter. And. 797. Quae se inhoneste optavit parere hic ditias, id. Heaut. 758. Te mi ipsum jamdudum optabam dari, id. Hec. 651. Hunc videre saepe optabamus diem. Catull. 40, 6. Quam lubet esse notus optas cf. id. 64, 5; 64, 82; 76, 25. Hor. epod. 17, 68. Optat supremo collocare Sisyphus in monte saxum. id. ep. I, 14, 48. Optat ephippia bos piger, optat arare caballus. ib. II, 1, 265. Ac neque ficto in pejus vultu proponi cereus usquam nec prave factis decorari versibus opto. Cf. Tib. I, 6, 74; Ov. am. III, 2, 29; III, 7, 47. Verg. Aen. II, 635; Stat. silv. II, 6, 24; id. Ach. II, 270.

praeopto. Plaut. Capt. 687. Meumque potius me caput periculo [hic] praeoptavisse quam is periret ponere. Ter. Hec. 532. Adeon pervicaci esse animo, ut puerum praeoptares perire!

praefero Hor. ep. II, 2, 183. Cur alter fratrum cessare et ludere et ungi praeferat?

exopto. Plaut. Mil. 1135. Quos videre me exoptabam maxume. Ter. And. 20. Quorsum aemulari exoptat neglegentiam? Pers. 2, 44. Rem struere exoptas caeso bove.

proco Trag. rel. p. 2. Quin quod parere mihi vos majestas mea procat toleratis temploque hanc deducitis.

aveo Varro. sat. Men. 16 fr. 1. Quibus instabilis animus ardens mutabiliter avet habere et non habere, fastidiliter inconstanti pectore, Lucr. II, 216. Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus, id. III, 6 Quod te imitari aveo. cf. id. III, 259; 776; IV, 820, 1195; V, 850; 1017. Catull 46, 7. Mens avet vagari; Hor. od. IV, 11, 7. Ara avet immolato spargier agno. id sat. II, 4, 1. Non est mihi tempus aventi ponere signa.

gestio. Plaut. Men. 486 Adibo ad hominem, nam turbare gestio. id. Mil. 8. Quae (sc. machaera) misere gestit stragem facere ex hostibus. Cfr. Pseud. 116, 1073. Trin. 325, Asin. 788. Mil. 1398. Ser. Phorm. 260. Ipsum gestio dari mi in conspectum. Lucr. IV, 1047. Gestitque coire. id. VI, 1045. Usque adeo fugere ab saxo gestire videtur. Hoc. od. III, 4, 54

Visere gestiens. id. ep. I, 20, 5. Fuge quo descendere gestis. cf. od. III, 16, 23; IV, 12, 14; ep. I, 1, 77; II, 3, 69. Tib. II, 1, 7. Pers. I, 127; Stat. silv. I, 2, 15.

praegestio. Catull. 64, 145. Animus praegestit apisci. Hor. od. II, 5, 7. Nunc in udo ludere cum vitulis salicto praegestientis.

ardeo Verg. Aen. I, 514. Avidi conjungere dextras ardebant. ib. 580. Jam dudum erumpere nubem ardebant. ib. II, 315. Sed glomerare manum bello et concurrere in arcem cum sociis ardent animi. Stat. Ach. II, 111. Quis enim non visere gentes ardeat?

trepido. Hor. od. II, 4, 23. Cujus octavum trepidavit aetas claudere lustrum.

furo Hor. od. I, 15, 27. Ecce furit ta reperire atrox Tydides.

γ) cum notione edictae voluntatis.

pollicitus sum. Plaut. Men. 311. Nummum illum, quem mihi dudum pollicitu's dare. Ter. Heaut. 724. Quas mihi dare pollicitust.

promisi. Plaut. Cas. II, 4, 9. Casinam ego uxorem promisi vilico nostro dare. id. Cist. II, 2, 7. Quia ei promisi dolium vini dare.

oro. Stat. Ach. I, 184. Tunc libare dapes Bacchaeaque munera Chiron ort.

posco. Hor. ep. II, 3, 339. Nec quodcumque volet poscat sibi fabula credi. Pers. 3, 16. At cur non pappare minutum poscis.

postulo. Enn. sat. 32. Nam qui lepide postulat alternum frustrarier. Plaut. Amph. 361. Tun domo prohibere peregre me advenientem postulas? ib. 789. Nam haec quidem nos delirantis dictis facere postulat. cf. ib. 891. Capt. 339; 717; Mil. 302; Rud. 17, 393, 543. 709, 941, 990, 1385; Trin. 237, 441, 972, 1020; Pseud. 101, 438, 851, 853; Stich. 488. Men. 443, 766, 794, 1080. Most. 259, 613, 1023; Aulul. II, 6, 12; Cas. I, 1, 39; 54; II, 2, 22; V, 4, 1; Poen. I, 2, 187; III, 1, 41; III, 5, 31; Truc. I, 2, 39; IV, 2, 17; 4, 10; V, 1, 36. Ter. And. 644. Etiam nunc me ducere istis dictis postulas? cf. 330, 657; Eun. 61, 480; Heaut. 671, 1011; Hec. 564; Ad. 200, 238, 879. Lucr. V, 542. Undique enim similem esse sui res postulat ipsa. Catull. 66, 42. Sed qui se ferro postulat esse parem.

flagito. Hor. sat. II, 4, 61. Flagitat immorsus refici.

minor. Plaut. Men. 843 Minatur mihi oculos exurere. Lucr. I, 723. Minatur murmura flammarum rursum in se colligere iras.

id. V, 400. Vix ut jam credere possint, non supra sese ruere omnia tecta minari.

minitor. Plaut. Men. 938. Tu istic, qui mihi etiam me junctis quadrigis minitatu's prosternere. Ter. Hec. 427. Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.

δ) cum notione contendendi (i. e. ut actio, quae desideratur, fiat).

ago. Com. rel. p. 10. Et asseri laudes ago.

agito. Plaut. Rud 936. Magnas res hic agito in mentem instruere.

curo. Cato r. r. c. 141. Mando tibi, Mani, uti illace suovetaurilia, fundum agrum terramque meam quota ex parte sive circumagi, sive circumferenda censeas, uti cures lustrare. Lucr. IV, 243. Efficit, ut videamus, et internoscere curat. Hor. od. III, 5, 29. Nec vera virtus curat reponi. ib. II, 13, 39. Nec curat Orion leones aut timidos agitare lyncas. id. ep. I, 16, 17. Tu recte vivis, si curas esse, quod audis. cf. 17, 5; 57; 18, 59. II, 2, 182; II, 3, 98; 297; 460. Ov. am. II, 19, 8. Quo mihi fortunam, quae nunquam fallere curet. Verg. Aen. III, 451. Nec revocare situs aut jungere carmina curat. Pers. 3, 78. Non ego curo esse quod Arcesilas. Stat. Ach II, 161. Achilles nec servare vices nec jungere brachia curat.

quaero. Varro sat. Men. 92, 3. Illud vero quondam egi, ut ego non metuam fulmen, non aruspicem tristem: simulans dici non quaero. Lucr. I, 103. Vatum terriloquis victus dictis desciscere quaeres. id. III, 514. Aut aliam quamvis naturam flectere quaerit. cf. III, 1055; cf. 465; 1089; 1110. Hor. od. I, 37, 21. Generosius perire quaerens, id. od. III. 27, 5. Speciosa quaero poscere tigres. id. od. IV, 1, 12. Si torrere jecur quaeris idoneum. id. od. III, 24, 27. Si quaeret pater urbium subscribi statuis cf. od. I, 16, 25; III, 4, 39; epod. 2, 70; 16, 16; sat. I, 9, 8; II, 7, 114. Ov. am. I, 8, 51. Vestis bona quaerit haberi.

nitor. Trag. rel. p. 33. Gradum proferre pedum nitere. Lucr. III, 63. Noctes atque dies niti praestante labore ad summas emergere opes. Tib. IV, 1, 21. Et vagus e terris qua surgere nititur aer.

tendo. Lucr. V, 725. Ut Babylonicum Chaldeum doctrina refutans astrologum artem contra convincere tendit. Hor. ep. I, 19, 16. Dum studet urbanus tenditque severus haberi. ib. II, 2, 57. Tendunt extorquere poemata. cf. od. I, 29, 14;

III, 4, 51; ep. I, 10, 20. Verg. Aen. II, 220. Ille simul manibus tendit divellere nodos. Pers. 5, 139. Si vivere cum Jove tendis. Stat. silv. II, 6, 70. Vitae modo limine adulto nectere tendebat juvenum pulcherrimus ille cum tribus Eleis unam trieterida lustris.

attendo. Trag. rel. p. 145. Ne attenderis petere a me id quod nefas sit concedi tibi. Com. rel. p. 198. Quid futurum est, si pol hanc ego discere artem attenderim.

intendo. Plaut. Mil. 380 Pergin, sceleste, intendere hanc arguere? Ter. Enn. 525. Eam sese intendit esse. Lucr. V, 385. Quod facere intendunt. Pers. 2, 48. At tamen hic extis et opimo vincere ferto intendit. id. 5, 13. Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.

paro. Enn. an. 447. Jam cata signa fere sonitum dare voce parabant. Caes bell. civ. I. 83. Munitiones institutas parat perficere. cf sall. Jug. 13, Ter. Phorm. 3, alia.

apparo. Plaut. Asin. 434 Vah, delenire adparas.

comparo. Com. rel. p. 121. Faciendum est nobis ita, ut cum ea primum blanditer nos comparemus conloqui.

adorno. Plaut. Epid. V, 2, 25. Tragulam in te injicere adornat.

peto. Plaut. Pseud. 683. Multi hau scimus frustra ut simus, quom quid cupienter dari petimus nobis. Lucr. III, 86. Vitare Acherusia templa petentes. Hor. ep. I, 11, 28. Navibus atque quadrigis petimus bene vivere.

appeto. Com. rel. p. 90. Tamen oculi longa intercapedine adpetunt cupide intui.

expeto. Trag. rel. p. 58. Quem quisque odit, perisse expetit. ib. 85. Di me etsi perdunt, tamen esse adjutam expetunt. Plaut. Mil. 1258. Nescio ubi hic prope adest, quem expeto videre. id. Most. 128. Nituntur, ut alii sibi esse illorum similis expetant. cf. ib. 613; Rud. 240; Trin. 652, 674; Asin 27; Curc. 107; Pseud. 1087; Autul. IV, 4, 25; Cas. II, 2, 14; III, 5, 35; Cist. II, 3, 12; Poen. V. 3, 12; Ter. Heaut. 890. Mane dum, hoc prius scire expeto. Hor. epod. 11. 3. Amore qui me praeter omnes expetit mollibus in pueris urere.

enitor. Ter. And. 596. Gnatum mihi corrigere porro enitere. Hor. od. III, 25, 46. Lacerare ferro et frangere enitar.

insto. Trag rel. p. 90. Spartam reportare instat, id si perpetrat. Lucr. III, 1062. Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans. id. IV, 995. Blanda propago discutere et corpus de terra corripere instant. id. V, 298. Taedae tremere ignibus instant.

insisto (insto). Trag. rel. p. 129. Qui me dictis mertare institit. ib. p. 162. Est res aliqua, quae praesente his prius maturare institit. Plaut. Capt. 584. Vide nequid tu huic temere insistas credere. Catull. 66, 50. Et qui principio sub terra quaerere venas institit et ferri frangere duritiem.

urgeo. Hor. od. II, 18, 20. Marisque Bajis obstrepentis urges summovere littora.

certo. Enn. an. 425. Indu mari magno fluctus extollere certant. Lucr. V, 393. Magnis inter se de rebus cernere certant. id. VI, 509. Confertae nubes imbris dimittere certant dupliciter. Hor. od. I, 1, 8. Certat tergeminis tollere honoribus. Tib. II, 3, 57. Illi selectos certent praebere colores. Verg. Aen. II, 63. Undique visendi studio Trojana juventus circumfusa ruit certantque illudere capto. id. buc. 5, 9. Quid si idem certet Phoebum superare canendo? Stat. silv. I, 3, 3. Potuit sociae commercia noscere ripae certantesque sibi dominum defendere villas. id. Ach. I, 416. Cyrrha sagittiferas certat stipare pharetras

ambeo. Stat. silv. I, 2, 252. Hunc ipse choro plaudente Philetas Callimachusque senex Umbroque Propertius antro ambissent laudare diem.

sequor. Lucr. V, 529. Id doceo plurisque sequor disponere causas.

insequor. Verg. Aen. III, 31. Rursus in alterius convellere vimen insequor.

laboro. Catull. 67, 17. Nemo quaerit nec scire laborat. Hor. od. II, 3, 11. Obliquo laborat lympha fugax trepidare rivo. id. sat. I, 1, 112. Hunc atque hunc superare laborat. ib. II, 3, 268. Haec si quis laboret reddere certa sibi. ib. II, 8, 18. Sed quis coenantibus una, Fundani, pulchre fuerit tibi nosse laboro. cf. id. ep. II, 3, 25; 168; 192; 435. Pers 2, 17. Minimum est, quod scire laboro. Stat. silv. I, 5, 10 Junge, puer, cyathos et enumerare labora. cf. Nep. Pelop. c. 3. Ut ne quaerere quidem de tanta re laborarent. Plin. ep. I, 10. Amarique ab eo laboravi.

molior Lucr. II, 1024. Nam tibi vehementer nova res molitur ad auris accedere et nova se species ostendere rerum.

pugno Ov. am. I, 5, 14. Pugnabat tunica sed tamen illa tegi.

persequor Plaut. Autul. IV, 1, 1. Hoc est servi facinus frugi, facere quod ego persequor. Hor. od. I. 22, 9. Atqui non ego te frangere persequor.

perpetro Plaut. Truc. II, 5, 12. Male quod mulier facere incepit, nisi id efficere perpetrat cett.

ε) cum notione celeritatis vel maturandi. Nil moror. Plaut Capt. 16. Alieno uti nil moror cf. id. Mil. 247, Trin. 337; Most, 845; Epid. III, 2, 14; Poen. V, 4, 103.

maturo Plaut. Mil. 1093. Jube maturare illam exire huc. Ter. Heaut. 496. Id ut maturent facere cf. Cic. Att 1. Te expecto et oro, ut matures venire. Caes. b. G. I, 7; Nep. Dat. 4; alia.

propero Plaut. Rud. 444. Propera amabo 'ecferre. ib. 1223. Set propera ire in urbem. cf. ib. 1370; Trin. 983, 1043; Bacch. 1049; Curc. 535, 688; Pseud. 856, 951, 993; Stich. 670; Men. 204, 599, 754; Merc. 243, 951; Persa 666; Aul. II, 2, 4; II, 8, 23; IV, 1, 14; Cas. III, 2. 1; IV, 2, 6; Cist. I, 3, 3; VI, 1, 6; Epid. 2, 36; III, 4, 78; Truc. I, 2, 66; II, 2, 31. Ter. And. 759. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua. cf. Phorm. 436, 845. Varro sat. Men. 22, 4 Properate vivere puerae, quas sinit aetatula ludere. Lucr. V, 296 Taedae consimili properant ratione suppeditare novom lumen. Hor. od. I, 8, 2. Cur Sybarin properas amando perdere? id. epod. 12, 9. Cum pene soluto indomitam rabiem properat sedare. Sib. IV, 1, 160. Seu celer hibernas properat decurrere luces. Verg. Aen. I, 745. Quid tantum oceano properent se tingere soles hiberni.

depropero Plaut. Poen. I, 2, 108 Prius quam Venus expergiscatur, prius deproperant sedulo sacruficare.

festino Hor. ep. I, 2, 11. Nestor componere lites festinat. ib. v. 38. Nam cur quae laedunt oculum festinant demere?

praefestino Com. rel. p. 182 Praefestinamus quae sit causa sciscere. Plaut. Rud. 118 Jstic infortunium, qui praefestinet, ubi erus adsit, proloqui.

ζ) cum notione conatus (conor, aggredior)

adorior Lucr. III, 513. Commutare animum quicumque adoritur et infit.

tento Lucr. V, 656. Aut quia sol idem anticipat coelum radiis accendere temptans. id. V, 1065. Et catulos blande cum lingua lambere temptant. Tib. I, 5,37. Saepe ego tentavi curas depellere vino. id. I, 8, 21. Cantus et e curru lunam deducere tentat. id. III, 5, 7. Non ego tentavi nulli temeranda virorum audax laudandae sacra docere deae. Ov. am. III, 14, 4. Sed tamen ut temptes dissimulare rogat.

sumo Hor. od. I, 12, 2. Quem virum sumis celebrare? id. ep. I, 3, 7. Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?

occupo Com. rel. p. 132. Ergo occupa foras exire Trag. rel. p. 28. Hector vi summa armatos educit foras castrisque castra inferre occupat. ib. p. 157. Quem ad modum impetum facere occupemus in regem? ib. p. 187. Auferre ab regina occupo puerum. Plaut. Most. 566. Set occupabo adire. id. Poen. I, 2,107. Quae habent nocturna ora noctu sacruficatum ire occupant. Varro. sat. Men. 31,9. Priusquam responderem, foris nescio quis occupat res indicare. Hor. od. II, 12, 28. Interdum rapere occupat.

η) cum notione perseverandi.

itero Lucr. IV, 5, 76. Ita colles collibus ipsi verba repulsantes iterabant docta referri.

obduro. Ov. am. III, 11, 7. Perferre obdura! dolor hic tibi proderit olim.

persto. Stat. silv. II, 3, 73. Iliacos aequare senes et vincere persta.

b) Verba voluntatis negativa (nolo).

α) cum notione „non propensum esse" (dubito).

abnueo (nuo) Eun. an. 283 Certare abnueo: metuo legionibus labem. Plaut. Merc. 59. Interdum mussans conloqui abnuere.

dedignor. Ov. am. I, 10, 63. Nec dare, sed pretium posci dedignor et odi

indignor. Lucr. III, 1043. Tu vero dubitabis et indignabere obire?

erubesco. Verg. buc. 6, 2. Neque erubuit silvas habitare Thalia. Stat. silv. I, 4, 5. Erubuit tanto spoliare ministro imperium Fortuna tuum.

sperno. Stat. silv. I, 4, 36. Sperne coli tenuiore lyra.

contemno Hor. ep. I, 1, 29. Non tamen id circo contemnas lippus inungi.

β) cum notione taedii.

odi Plaut. Capt. 65. Ego faciam, ut pugnam spectet non bonam, adeo, ut spectare postea omnis oderit. Hor. od. II, 16, 25. Laetus in praesens animus quod ultra est oderit curare. id. ep. I, 6, 52. Oderunt peccare boni virtutis amore. cf. Ov. am. I, 10, 63.

metuo Plaut. Trin. 754. Quem fodere metuo. id. Pseud. 304. Metuont credere omnes. Eadem est mihi lex: metuo credere. cf. id. Persa 441; Aulul. II, 2, 69; Truc. II, 4, 2. Catull. 64, 146. Nil metuunt jurare. Hor. od. II, 2, 7. Illum aget penna

metuente solvi fama superstes. id. od. III, 9, 11. Pro qua non metuam mori. ib. III, 11, 10 Ludit exultim metuitque tangi cf. ib. III, 14, 15; III. 19, 16; IV, 5, 20; sat. II, 3, 109; II, 5, 65; ep. 1, 6, 60; 1, 18, 1. Stat. Ach. II, 60. Metuam quid enim tibi cuncta fateri? ib. 240. Obvius ire tot metuit fatis.

vereor Trag. rel. p. 70 Mignate, ut verear eloqui, porcet pudor. Plaut. Mil. 1168. Ne ille mox vereatur (huc) introire in alienam domum. cf. Trin. 1149; Epid. I, 1, 39. Ter. And. 322, 488 alia.

timeo. Pl. Merc. 57. Omnes timerent credere. Hor. od. I, 8, 8. Timet tangere. ib III, 24, 55 Venarique timet. id. sat., I, 4, 23. Vulgo recitare timentis ob hanc rem. cf. ep. I, 5, 7; 7, 4; 19, 27; II, 3, 170, 197; 455. Tib. I, 4, 21. Nec jurare time. Ov. am. I, 8, 85. Nec si quem falles tu perpurgare timeto. cf. ib. I, 14, 5; II, 2, 18.

pertimesco Hor. sat. II, 3, 11. Quorsum pertimuit comites educere tantos?

formido Trag. rel. p. 199. Formidabant objurgare. Plaut. Pseud. 315. Face hoc quod te rogamus, Ballio, mea fide, si isti formidas credere. Hor. ep. I, 19, 45. Ad haec ego naribus uti formido.

horreo. Catull. 14, 24. Si qui forte mearum ineptiarum lectores eritis manusque vestras non horrebitis amovere nobis.

γ) cum notione voluntatis negativae edictae.

nego Plaut. Rud. 1291. Ego qui in mari prehendi rete atque accepi vidulum ei dare negatis? Ter. And. 379. Sed si tu negaris ducere. Hor. ep. I, 2, 11. Cogi posse negat. Tib. I, 4, 41. Neu comes ire neges. ib. 50. Nec, dum placeas, humeri retia ferre negent. Stat. silv. I, 5, 62. Neronea nec qui modo lotus in unda hic iterum sudare neget. ib. II, 2, 46. Ille cadentem detinet exactamque negat dimittere lucem.

denego. Ter. Heaut 487. Dare denegaris. Hor. od. III, 16, 38. Nec si plura velim, tu dare deneges.

abnego Verg. Aen. II, 637 Genitor abnegat excisa vitam producere Troja.

recuso Hor. sat. II, 516. Ne tamen illi tu comes exterior ire recuses. ib. II, 7, 108 Illusique pedes vitiosum ferre recusant corpus. id. ep. II, 1, 208. Quae ferre ipse recusem me laudare putes? ib. II, 1, 259. Quam vires ferre recusant. ib. II, 3, 39. Et versate diu, quid valeant humeri,

quid ferre recusent. Tib. III, 473 Si ferre recusas immitem dominam. Ov. am. II, 14, 13 Si numen aquarum justa recusasset pondera ferre Thetis. Verg. Aen. II, 126 Bis quinos silet ille dies tectusque recusat prodere voce sua quemquam aut opponere morti. cf. ib. 607; 704. Pers. 3, 18. Iratus mammae lallare recusas. id. I, 41 An erit qui velle recuset os populi meruisse? cf. id. 5, 79; 6, 15. Stat. silv. I, 5, 48. Unda argentoque cadit labrisque nitentibus instat delicias mirata suas et abire recusat. cf. id. Ach. I, 539.

δ) cum notione neglegendi:

tempero. Trag. rel. p. 201. Ibi ex oraclo voce divina edidit Apollo puerum primus Priamo qui foret post illa natus temperaret tollere. Plaut. Poen. pr. 22. Decet animo aequo nunc stent, vel dormire temperent. ib. pr. 33. Canora hic voce sua tinnire hic temperent. ib. V, 2, 76. Maledicere huic tu temperabis, si sapis.

cuncto. Trag. rel. p. 122. Ita territa membra animo aegroto cunctant subferre laborem.

moros. Catull. 52, 1. Quid est, Catulle? quid moraris emori? Hor. epod. 16, 24. Secunda ratem occupare quid moramur alite? Od. am. I, 11. 25. Non ego victrices lauro redimire tabellas nec Veneris media ponere in aede morer. Verg. buc. 8, 105. Adspice, corripuit tremulis altaria flammis sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse.

parco. Cato r. r. c. I. Neve opera tua parcas visere. Plaut. Persa 312. Pressare parce. Ter. Hec. 283. Hancine ego vitam parsi perdere? Lucr. II, 659. Dum vera re tamen ipse religione animum turpi contingere parcat. Catull. 64, 146. Nil promittere parcunt. Hor. od. I, 28, 3. Vagae ne parce malignus arenae ossibus particulam dare. ib. III, 8, 26. Ne parce privatus nimium cavere. ib. III. 28, 5. Inclinare meridiem sentis ac parcis deripere horreo. id. sat. II, 58. Ac nisi mutatum parcit defundere vinum. cf. Tib. I, 6, 51; III, 5, 6; Ov. am. I, 2, 50; 10, 47; Verg. Aen. III, 41; id. buc. 3, 94.

comperco. Com. rel. p. 88. Comperce verbis velitare. Plaut. Poen. I, 2. 137. Comperce amabo me adtrectare.

differo. Hor. od. IV, 4, 21. Quaerere distuli.

compesco. Plaut. Bacch. 465. Cave malum et compesce in illum dicere injuste.

neglego. Plaut. Amph, 586, Qui quoniam erus quod imperavit neglexisti persequi. id. Merc. 86. Et mea promissa

non neglexit persequi, Hor. od. I., 28, 30. Neglegis immeritis nocituram postmodo te natis fraudem committere?
defetiscor. Ter. Phorm. 589. Neque defetiscor usque adeo experirier.
remitto. Ter. And. 827. Remittas jam me onerare injuriis. Hor. od. II. 9, 4. Remittas quaerere, quid cett.
intermitto. Plaut. Most. 959. Quid ais tandem? — Triduum unum haut esse intermissum hic bibi.
quiesco. Plaut. Most. 1173. Tu quiesce hanc rem modo petere.
ɛ) cum notione omittendi.
omitto. Cic. Brut. c. 76. Itaque omittamus lugere.
mitto. Plaut. Persa 207. Mitte male loqui. id. Aulul. IV. 4, 24. Jam scrutari mitto. Ter. And. 873. Mitte male loqui. ib. 904 Mitte orare. Lucr. II., 1029. Quod non paullatim mittant mirarier omnes. id. IV., 469. Hanc igitur contra mittam contendere causam. id. VI., 1054. Illud in his rebus mirari mitte. Catull. 64, 379. Anxia nec mater discordis maesta puellae secubitu caros mittet sperare nepotes. Hor. od I, 38, 5. Mitte sectari rosa quo locorum sera moretur. id. epod. 13, 7. Cetera mitte loqui.
relinquo. Lucr. VI., 654. Ac videas plane, mirari multa relinquas.
praetereo. Plaut. Merc. 403. Verum quod praeterii dicere.
deficio. Lucr. I., 1040. Sic omnia debent dissolui simul ac defecit suppeditare materies. Tib. IV., 1. 91. Non te deficient nostrae memorare Camenae.
desisto. Stat. II., 1, 183. Pone metus letique minas desiste vereri. Alia.
aufero. Hor, sat. II., 7,43. Aufer me vultu terrere.
occulto. Plaut. Pers. 493. Nam est res quaedam, quam occultabam tibi dicere.
eximo. Cas. III., 1,3. Exime castigare.
abstineo. Plaut. Mil. 185. Hoc ei dicito: [ne hercle usquam] artem et disciplinam apstineat colere.
vito. Lucr. IV., 322. Splendida porro oculi fugitant vitantque tueri. Hor. sat. I., 3, 16. Et tangere vitet scripta.
fugio. Com. rel. p. 171. Repastinassene autem te, senex, fugis. Lucr. I, 1052. Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi. Hor. od. I, 9, 13. Quid sit futurum cras, fuge quaere. id. od. II, 4, 22. Fuge suspicari. id ep. II., 2, 150.

Fugies radice vel herba proficiente nihil curarier. Tib. I., 4, 9. O fuge te tenerae puerorum credere turbae. Pers. 6, 65. Ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quondam legarat Tadius.
fugito. Ter. Her. 775. Non poenitet me famae, solam fecisse id quod aliae meretrices facere fugitant. Lucr. VI., 1236. Nam quincunque suos fugitabant visere ad aegros.
refugio. Hor. od. I., 1, 34. Lesboum refugit tendere barbiton.
diffugio. Hor. od. I., 35, 28. Diffugiunt amici ferre jugum pariter dolosi.

II. Verba facultatis.

a) affirmativa (disco, possum).
condisco. Hor. od. III., 2, 1. Angustam amice pauperiem pati condiscat.
imbibo. Lucr. III, 994. Sisyphus, qui petere a populo fasces saevasque secures imbibit. id. VI., 72. Ut ex ira poenas petere imbibat acris.
invenio. Tib. I, 8, 35. At Venus invenit puero succumbere furtim.
calleo. Trag. rel., p. 70. Omnes, qui tam quam nos [severo] serviunt sub regno, callent dominum imperia metuere. Hor. od. IV., 9, 47. Qui deorum muneribus sapienter uti duramque callet pauperiem pati.
valeo. Lucr. I., 109. Aliqua ratione valerent religionibus atque minis obsistere vatum. id. I., 356. Qua corpora quaeque valerent transire. id. I., 602. Nec fuit unquam per se secretum neque posthac esse valebit. cf. ib. 630; III., 1085; IV., 481; V., 58; VI., 78. Hor. od. I., 34, 12. Valet ima summis dare. ib. III., 25., 15. Bacharumque valentium proceras manibus vertere fraxinos. id. epod. 5, 87. Venena non valent convertere humanam vicem. cf. ib. 16, 3; 17, 4; sat. I., 1, 14; I., 9, 39; II., 7, 87; ep. II., 1, 200; II., 3, 304. Tib. IV., 1, 55. Nec valuit lotos coeptos avertere cursus. Verg. Aen. II., 491. Nec claustra neque ipsi custodes sufferre valent. id. buc. 9, 38. Si valeam meminisse. Stat. silv. I. 1, 41. Pectora, quae mundi valeant evolvere curas. ib. II., 2, 41. Innumeras valeam species cultusque locorum Pieriis aequare modis.

sustineo. Ov. am. I, 7, 49. Sustinui notare genas. ib. II, 9, 39. Infelix tota quicunque quiescere nocte sustinet.
scio. Cato r. r. c. 5. Opus rusticum omne curet, uti sciat facere. ib. c. 143. Far subtile sciat facere. Varro. r. r. I c. 2. Neque scirent etiam arare terram. Liv. XXII, 51. Vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis. cf. Plaut. Capt. 850; Trin. 830; Asin. 793; Curc. 620; Pseud. 226; Merc. 521, 686; Persa 6. 645, 684, 853; Ter. Heaut. 196; Phorm. 79; Hor. od. III, 7, 25; Tib. I, 5, 27; Verg. Aen. I, 63.
novi. Stat. silv. I, 2, 50. Docti norunt audire Penates.

b) negativum:

nescio. Com. rel. p. 192. Atque auscultare disce, si nescis. ib. p. 193. Jocari nescit. Trag. rel. p. 214. Proinde ita parent se in vita, ut vinci nesciant. cf. Liv. XXII. 51. Victoria uti nescis. cf. Plaut. Pers. 762; Bacch. 581; Ter. Ad. 220; Tib. I, 6, 33; Hor. od. III, 13, 10; III, 24, 55.

II. Verba causativa. 1. affirmativa (sino, patior, jubeo, doceo alia.)
permitto. Verg, buc. 1, 9. Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum ludere quae vellem calamo permisit agresti. cf. Cic. Verr. 7, 9. Ipsis judicibus conjecturam facere permittam.
concedo. Catull. 64, 29. Tene suam Tethys concessit ducere neptem? cf. Cic. p. Quint. 15. Quintio ne perire quidem tacite conceditur. Curt. VIII, 26. Servis quoque pueros hujus aetatis verberare concedimus. cf. Ov. am. II. 14, 43; Verg. Aen. III, 700; Stat. silv. I, 1, 77; 2, 67; id. Ach. I. 357. Cic. am. 14; Caes. b G. VI, 19; VIII, 44.
nil moro. Plaut. Bacch. 153. Nil moro discipulos mihi esse plenos sanguinis.
dono. Hor. od. I, 31, 17. Frui paratis mihi dones precor, nec turpem senectam degerere. id. sat. II. 5, 60. Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
do. Plaut. Persa 821. Bibere da usque plenis cantharis. Ter. And. 484. Quod jussi ei dari bibere et quantum imperavi, date. Lucr. III, 1028. Iterque dedit legionibus ire per altum. id. VI, 1224. Nam quod ali dederat vitalis aeris auras volvere in ore licere et caeli templa tueri, hoc aliis erat exitio letumque parabat. Hor. od. II, 6, 39. Parca non mendax dedit et

malignum spernere vulgus. id sat. II, 3, 191. Di tibi dent capta classem reducere Troja. id. ep. I, 6, 61. Da mihi fallere. cf. Plin. ep. I, 10. Quantum mihi cernere datur. cf. Lib I, 8, 56; III, 4, 7; Verg. Aen. I, 65, 79, 319, 408, 522, 553; III, 77; Stat. silv. I, 2, 39; 181; 3, 30; II, 1, 83; id. Ach. I, 74, 92.
trado. Hor. od. I, 26, 1. Tristitiam et metus tradam protervis in mare Creticum portare ventis.
instituto. Verg buc. 2, 32. Pan primus calamos cera conjungere plures instituit. Alia.
monstro. Hor. sat. II, 8, 52. Inulas ego primus amaras monstravi incoquere.
demonstro. Stat Ach. I, 581. Tenuare rudes attrito pollice lanas demonstrat.
facio. Cato r. r. c. 143. Facito accedere oleum (sc. aliquem). Enn. an. 480. Cum soles tandem faciunt longiscere longe. Com. rel. p. 50. Ferre ita me uxor et forma et factis facit. Lucr. III, 100. Quod faciat nos vivere cum sensu. cf. ib. 301, 876; V, 660, 701, 1185; VI, 267, 455, 512. Verg. Aen. II, 535. At tibi pro scelere di persolvant grates dignas, qui nati coram me cernere letum fecisti. Pers. 1, 44. Quisquis es, o, modo quem ex adverso dicere feci.
voco. Lucr. V, 942. At sedare sitim fluvii fontesque vocabant.
oro. Plaut. Mil. 1405. Oratus sum huc venire.
rogo. Catull. 35, 8. Quamvis candida milies puella euntem revocet manusque collo ambas iniciens roget morari. Hor. sat. II, 4. 88. Rogatus ducere me auditum.
precor. Tib. II, 5, 3. Nunc te vocales impellere pollice chordas, nunc precor ad laudes flectere verba mea.
invito. Com. rel. p. 143. Jejentare nulla invitat.
suadeo. Lucr. II, 171. Et jam cetera, mortalis quae suadet adire dia voluptas. Verg. Aen. I, 357. Tum celerare fugam patriaque excedere suadet. ib. III, 363. Cuncti suaserunt numine divi Italiam petere et terras tentare repostas. id. buc. 1, 55. Saepe levi somnum suadebit inire susurrum.
moneo. Com. rel. p. 28. Venter ubi monet esse. Lucr. V, 1397. Tum caput atque humeros pexis redimire coronis floribus et foliis lascivia laeta monebat. cf. Cic. fin. I, 20. Cum vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet amicitias comparare. Plin. H. N. 18, 25 Natura monet festinare. cf. Hor. c. s. 5; Stat. Ach. II, 34.

admoneo. Hor. sat. I, 6, 125. Ast ubi me fessum sol ire lavatum admonuit. cf. Lucr. III, 1037.

hortor. Verg. Aen. II, 32. Priamusque Thymoetes duci intra muros hortatur et arce locari. ib. 74. Hortamur fari, quo sanguine cretus, quidve ferat. cf. ib. III, 133, 143, 608; Stat. Ach. I, 370.

cogo. Varro r. r. II, 5. Algor enim eas et famis macrescere cogit. Cic.: Num te emere venditor coëgit? al.

ago. Verg. Aen. III, 4. Diversa exilia et desertas quaerere terras auguriis agimur divum. ib. 682. Praecipites metus acer agit quodcumque rudentes excutere et ventis intendere vela secundis.

irrito. Ov. am. II, 14, 33. Dicite, quis Tereus, quis vos irritet Jago sollicita corpora vestra manu.

sollicito. Lucr. IV, 1187 Commuuia quaerens gaudia sollicitat (sc. virum) spatium decurrere amoris. Ov. am. III, 9, 36. Sollicitor nullos esse putare deos.

impello. Hor. od. III, 7, 12. Ut Proetum mulier perfida impulerit nimis casto Bellerophonti maturare necem, refert. Ov. am. II, 12, 21. Femina Trojanos iterum nova bella movere impulit. Verg. Aen. I, 9. Quid dolens regina virum tot adire labores impulerit. ib. II, 55. Si mens non laeva fuisset, impulerat ferro Argolicas foedare latebras. ib. 519. Quae mens tam dira, miserrime conjux, impulit his cingi telis? Tac. ann. 14, 60. Quendam ex ministris Octaviae impulit servilem ei amorem obicere.

subigo. Plaut. Truc. IV, 3, 9. Vis subegit verum fateri. Lucr. III, 1474. Denique tanto opere in dubiis trepidare periclis quae mala nos subigit vitaï tanta cupido? id. V, 1026. At varios linguae sonitus natura subegit mittere. Verg. Aen. III, 256. Vos dira fames nostraeque injuria caedis ambesas subigat malis absumere mensas. Sall. Cat. 10. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit. cf. id. Jug. 33.

2. Negativa verba causativa.

tardo. Trag. rel. p. 222. Illam ut maeror tardaret sequi.

reprimo. Enn. an. 292. Ast occasus ubi tempusve audere repressit.

arceo, Stat. silv. II, 1, 34. Nec te lugere severus arceo, sed confer gemitus. id. Ach. II, 10. Quippe alta Tonantis jussa Thetin certas fatorum vertere leges arcebant.

adimo. Hor. ep. I, 19, 9. Forum mandabo siccis, adimam cantare severis.

interpello. Hor. sat. I, 6, 128. Quantum interpellet inani ventre diem durare.

impedio. Lucr. III, 322. Ut nil impediat dignam dis degere vitam *).

prohibeo. Trag. rel. p. 88. Si ire conor, prohibet baetere. ib. p. 163. Frugis prohibet pergrandescere. Cic. fam. 9. Qui Bibulum domo exire prohibuissent. id. off. III, 11. Qui peregrinos urbibus uti prohibent. cf. id. p. Lig. 8. Plaut. Aulul. III, 2, 21; Ter. Heaut. 573; Hec. 266; Lucr. I, 437; IV, 1261; alia.

Cum de verbis impersonalibus mihi nihil afferendum sit, quod a solita oratione abhorreat, liceat, enumerem exempla, in quibus **verba motum significantia** cum infinitivo conjuncta leguntur; sunt autem haec:

mitto. Plaut. Curc. 206. Nam parasitum missi nudius quartus Cariam petere argentum. id. Cass. III, 5, 48. Ego huc missa sum ludere. Stat. Ach. I, 209. Duros laxantem Aegaeona nexus missa sequi centumque dei numerare catenas.

eo. Enn. sota I. Ibant malaci viere Veneriam corollam. Plaut. Bacch. 354. Senex in Ephesum [hinc] ibit aurum arcessere. Stat. Ach. II, 1470. Nec minus egressae thalamis Scyreides ibant ostentare choros.

abeo. Plaut. Bacch. 900. Illa autem in arcem hinc abiit aedem visere Minervae. id. Cist. II, 1, 26. Abi quaerere, ubi jurando tuo satis sit subsidii.

exeo. Stat. Ach. I, 287. Muris exierant dare veris opes divaeque severas fronde ligare comas et spargere floribus hastam. Plaut. Cas. V, 1, 1. Acceptae bene et commode eximus intus visere huc in via nuptialeis.

progredior. Com. rel. p. 89. Progrediar foras visere, quid hic tumulti.

proficiscor. Plaut. Rud. 846. Etiamne in ara tunc sedebant mulieres, quom ad me profectu's ire?

venio. Plaut. Poen. V, 4, 1. Fuit hodie operae pretium ejus, delubrum qui hodie ornatum eo visere venit. Varro. r. r. II, 1. Cum Petam fessum visere venissemus.

*) cf. Cic. de Or. I: 35 Me et Sulpicium impedit pudor a Crasso hoc exquirere.

recurro. Plaut. Trin. 1015. Recipe te et recurre petere [re] recenti.

occurro. Lucr. III, 893. Nec dulces occurrent oscula nati praeripere.

Circumscriptiones.

I. Personales.

1) Verborum auxiliarium.

a) voluntatem significantium (= volo).

animum induco Ter. And. 834. Per ego te deos oro, ut ne animum inducas credere. id. Hec. 99. Ut possem animum inducere uxorem habere. ib. 603. Rem in animum induces pati. cf. Liv. I, 17. Nemo alteri concedere in animum inducebat. Cic. div. I, 13. Tu animum poteris inducere contra haec dicere *)?

operam facio. Plaut. Rud. 1141. Quisquis es, adulescens, operam face compendi quaerere.

operam do. Ter. Hec. 553. Nonne dissimulare nos magis humanum est, quam dare operam id scire, qui nos oderit.

operam sumo. Plaut. Men. 244. Operam praeterea nunquam sumam quaerere.

amore incendor. Verg. Aen. III, 298. Miroque incensus pectus amore compellare virum et casus cognoscere tantos.

b) facultatem significantium (= possum).

habeo licentiam (= licet personaliter dictum). Plaut. Trin. 1034. Scuta jacere fugereque hostis more habent licentiam

c) officium significantium (= debeo).

operam perdo. Plaut. Aulul. II, 5, 10. Si quod uti voles, domo abs te afferto. ne operam perdas poscere

d) speciem praebeo (= videor). Ov. am. II, 19, 14. speciem praebeo esse nocens.

2) Verborum causativorum (= permitto).

copiam do. Catull. 64, 366, Nam simul ac fessis dederit fors copiam Achivis nobis Dardaniae Neptunia solvere vincla.

*) Mihi habeo. Varro r. r. I, 2 Quare quoniam emisti fundum, quem bene colendo fructuosum conficere velis, meque ut id mihi habeam curare roges, experiar.

locum do. Plaut. Capt. 211. Ut sine hisce arbitris atque vobis locum detis nobis loqui.

II. Impersonales. 1) verborum auxiliarium.

a) verborum voluntatem significantium (= libet. volo).

voluntas fit. Lucr. IV, 1038. Fitque voluntas eicere id, quo se contendit dira libido.

animus est. Verg. Aen. III, 60. Omnibus idem animus scelerata excedere terra. Stat. silv. I, 3, 101. Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris.

consilium est. Plaut. Ep. I, 2, 67, At eundem senem oppugnare certum est consilium

cura est. Enn. an. 131. Ingens curast misconcordibus aequiparare. Tib. I. 8, 45. Tollere tum cura est albosa stirpe capillos. id. I, 9, 51. Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est. Verg. buc. 8, 89. Nec sit mihi cura mederi Stat. silv. II, 2, 70. Quos tibi cura sequi.

votum est. Ov. am. II, 5, 2. Ut mihi sint toties maxima vota mori.

amor est. Verg. Aen. II, 10. Sed tibi tantus amor casus cognoscere nostros et breviter Trojae supremum audire laborem.

cupido. Trag. rel. p. 38. Cupido cepit miseram nunc me proloqui coelo atque terrae Medeaï miserias. Verg. Aen. II, 349. Si vobis audentem extrema cupido certa sequi. Stat. Ach. I, 494. Namque huic bellare cupido praecipua.

lubido est. Plaut. Trin. 626. Est lubido orationem audire duorum adfinium. ib. 865. Magis lubidost opservare, quid agat. id. Bacch. 416. Paulisper, Lude, est lubido homini suo animo obsequi. id. Pseud. 552. Lubidost ludos tuos spectare, Pseudule. cf. id. Men. 82; Epid. I, 1, 86; II, 2, 56. Ov. am. II, 7, 19. Si sit peccasse libido.

impetus est. Ov. II, 5, 45. Sicut erant — et erant culti — laniare capillos et fuit in teneras impetus ire genas.

labor est. Stat Ach. I, 116. Nam nunc labor unus inermi nosse salutiferas dubiis animantibus herbas. cf. Plin. paneg. 26. labor erat parentibus parvulos adulantia verba edocere.

furor est. Tib. I, 10, 33. Quis furor est atram bellis accersere mortem? Ov. am. III, 14, 7. Quis furor est, quae nocte latent, in luce fateri?

ira subit. Verg. Aen. II, 575. Exarsere ignes animo, subit ira cadentem ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.

negativa (= non libet, piget, pudet, taedet; nolo).

religio est. Ter. Heaut. 228. Nam nil esse mali religio est dicere.

pudor est. Trag. rel. p. 228. Pudor est eloqui. Tib. III, 2, 7. Nec mihi vera loqui pudor est.

rubor est. Tib. II, 1, 29. Nec festa luce madere est rubor.

b) facultatem significantium (= licet, possum).

occasio est. Plaut. Capt. 423. Nunc adest occasio benefacta cumulare. id. Persa 725. Nunc est illa occasio inimicum ulcisci. id Poen. III, 3, 46. Agere tuam rem occasio est. ib. V, 4, 42. Quis revocat? — Qui bene volt vobis facere. — Facere occasio est.

facultas est. Stat. silv. I., 4, 62. Datur aggredienda facultas ingentem recreare virum. ib. II. 1, 227. Ades huc emissus ab atro limite, cui soli cuncta impetrare facultas.

potestas datur. Verg. eten. III., 670. Verum ubi nulla datur dextra affectare potestas.

tempus est. Plaut. Mil. 1218. Edepol nunc nos tempus est malas pejores fieri.

locus est. Plaut. Truc. IV., 4, 24. Factum cupio; nam refacere, si velim, non est locus.

c) consuetudinem significantium (= soleo).

mos est. Plaut. Capt. 985. Quia jam mos est oblivisci hominibus.

2) verborum causativorum (= cogo.)

causa est. Tib. III., 2, 29. Dolor huic causa perire fuit.

III. Attributivae, 1) quae loco participii cognatae significationis infinitivum desiderantis videntur positae esse.

a) quae significant voluntatem (= volens sum, volens).

memor. Stat. silv. II., 4, 17. Plangat Phoebeius ales auditasque memor penitus dimittere voces.

contentus. Pers. 5, 138. Baro, regustatum digito terebrare salinum contentus perages.

paratus. Enn. an. 258. Alter nare cupit, alter pugnare paratust. Frag. vel. p. 162. Paratus sum ubivis petere pestem permiti. Ter. Phorm. 427. Itane es paratus facere me advorsum omnia, infelix? Lucr. VI., 564. Protractaeque trabes impendentire paratae. Catull. 11, 13. Omnia haec temptare simul paratis pauca nuntiate meae puellae. id. 17, 1. Colonia, quae cupis ponte ludere magno et salire paratum habes. id. 45, 3. Nite perdite amo atque amare porro

omnes sum assidue paratus annos, caesio veniam obvius leoni. Verg. Aen. II., 61. Fidens animi atque in utrumque paratus, seu versare dolos seu certae occumbere morti. id. buc. 7, 4. Arcades ambo respondere parati. Pers. 1, 132. Multum gaudere paratus. id. 6, 35. Seu spirent cinnama surdum, seu ceraso peccent casiae, nescire paratus. Stat. silv. II., 2, 127. Dubium quem non in turbine rerum deprendet suprema dies, sed abire paratum. ib. 129. Nos caducis deservire bonis semperque optare parati,

animatus. Plaut. Pseud 151. Nempe ita animati estis vincere duritia tergi hoc atque me. id. Truc. V., 1, 76. Verum amabo siquid animatu's facere, fac jam ut sciam.

juratus. Plaut. Rud. 1379. Juratust dare mihi talentum magnum argenti. cf. ib. 1376.

impiger. Hor. od. IV., 14, 22. Impiger hostium vexare turmas et frementem mittere equum medios per ignes.

cupidus. Tib. IV., 1, 35. Convenientque tuas cupidi componere laudes. Stat. silv. I., 2, 85. Vidi ego et immiti cupidum decurrere campo Hippomenem. ib. II., 2, 10. Huc me detulit juvenilis gratia Pollae flectere jam cupidum gressus.

audax. Hor. od. I., 3, 25. Audax omnia perpeti.

pernix. Hor. ep. II., 3, 165. Sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.

pertinax. Hor. od. III., 29, 50. Ludum insolentem ludere pertinax.

saevus Hor. ep. I., 15, 30. Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus.

negativa: (= nolens sum, nolens).

immemor. Plaut. Pseud. 1104. Nihilist autem suum qui officium facere est immemor nisi si admonitust.

defessus. Enn. an. 154. Postquam defessi sunt stare et spargere sese hastis. Plaut. Merc. 818. Defessus sum urbem totam pervenarier. id. Epid. II., 2, 13. Per omnem urbem quem sum defessus quaerere. ib. V., 2, 54. Quamne hodie per urbem uterque sumus defessi quaerere? — Ego sum defessus reperire, vos defessi quaerere. Lucr. V., 1143. Genus humanum defessum vi colere aevum.

occupatus. Plaut. Merc. 287. Si quit vis, Demipho, non sum occupatus amico operam dare.

neglegens. Plaut. Most. 141. Postilla optigere eam neglegens fui.

segnis. Hor. od. III. 21, 22. Segnesque nodum solvere Gratiae.

piger. Hor. sat. I, 4, 12. Garrulus atque piger scribendi ferre laborem.

timidus. Hor. od. III, 19, 2. Codrus pro patria non timidus mori. praetrepidus Pers. 2, 54. Laetari praetrepidum cor.

b) quae significant facultatem (= qui potest, valens).

potens. Enn. an. 336. Insigneita fere tum milia militum octo duxit dilectos tolerare potentes.

par. Verg. buc. 7, 4. Arcades ambo cantare pares.

praesens. Hor. od. I, 35, 2. Praesens vel imo tollere de gradu mortale corpus.

efficax. Hor. od. IV, 12, 19. Amaraque curarum eluere efficax.

sollers. Hor. od IV, 8, 8. Sollers nunc hominem ponere, nunc deum. Ov. am. II, 7, 17. Sollers ornare Cypassis objicitur dominae contemerasse torum. Pers. 5, 37. (Amicus) tum fallere sollers apposita intortos extendit regula mores.

peritus. Verg. buc. 10, 32. Soli cantare periti Arcades. Pers. 2, 34. Urentes oculos inhibere perita.

doctus. Lucr. V, 938. Sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus. Hor. od. I, 29, 9. Doctus sagittas tendere Sericas arcu paterno. ib. III, 24, 56. Ludere doctior. ib. IV, 13, 12. Ille virentis et doctae psallere Chiae. cf. id. c. s. 75; sat. I. 10, 19; II, 4, 19; Tib. I, 7, 20; I, 9, 37; IV, 1, 207; Ov. am. I, 11, 1; ib. II, 6, 62; Pers. 5, 15

callidus. Hor. od. I, 10. 7. Callidum quidquid placuit joceso condere furto. ib. III, 11, 3. Tuque, testudo, resonare septem callida nervis. Pers. 3, 51. Neu quis callidior buxum torquere flagello. id. 1, 118. Flaccus callidus excusso populum suspendere naso.

catus. Hor. od. III, 12, 10. Catus idem cervos jaculari.

prudens. Hor. epod. 17, 47. Prudens anus novemdiales dissipare pulveres.

bonus. Verg. buc. 5, 1. Boni quoniam convenimus ambo, tu calamos inflare leves, ego dicere versus.

melior. Pers. 4, 16. Anticyras melior sorbere meracas.

optimus. Stat. silv. II, 3, 70. Idem auri facilis contemptor et optimus idem comere divitias opibusque immittere lucem.

praestantior. Pers. 6, 76. Nec sit praestantior alter Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.

opifex (quod vim habet adjectivam): Pers. 6, 3. Mire opifex numeris veterum primordia vocum atque marem strepitum fidis intendisse Latinae.

artifex (item adject. cf. 5, 40. Artificemque tuo ducit sub pollice vultum). id. prol. 11. Venter negatas artifex sequi voces. id. 1, 70. Nec ponere lucum artifices nec rus saturum laudare.

negativa. (= qui non potest, non valens, nesciens).

impotens. Hor. od. I, 37, 10. Quidlibet impotens sperare.

indoctus. Hor. od. II, 6, 2. Cantabrum indoctum juga ferre nostra.

indocilis. Hor. od. I, 1, 18. Indocilis pauperiem pati.

nescius. Hor. od. I, 6, 6. Pelidae stomachum cedere nescii. ib. IV, 6, 18. Nescios fari pueros. Pers. 4, 100. Diluis helleborum certo compescere puncto nescius examen.

inscius. Varro. sat. Men. 40, 1. Qui sutrinas facere inscius, nihil domo agis.

c) quae significant consuetudinem (= consuescens.)

consuetus. Varro. r. r. II, 9. Eo consueti cibo uti.

suetus. Lucr. II, 448. Saxa ictus contemnere sueta. ib. 903. Porro ex aliis sentire suëtis mollia conficiunt. Verg. Aen. III, 541. Idem olim curru succedere sueti quadrupedes.

2. Adjectiva (et participia), quae cum participio verbi infinitivum desiderantis non cognata sunt, ita, ut infinitivus iisdem appositus non nisi in universum, et ex analogia quidem illorum, quae supra enumeravi, vim adjectivi per se non satis definiti accuratius definire videatur. Sunt autem haec adjectiva:

dignus (cf. dignor). Hor. od. III, 21, 6. Moveri digna bono die descende. id. sat. I, 4, 25. Culpari dignos. ib. I, 10, 72. Iterum quae digna legi sunt. id. ep. I, 10, 48. Tortum digna sequi potius, quam ducere funem. ib. II, 3, 183. Non tamen intus digna geri promes in scenam. ib. 282. Sed in vitium libertas excidit et vim dignam lege regi. cf. Lib. II, 6, 43; Ov. am. II, 8, 2; II, 14, 6; III, 7, 59; Verg. buc. 5, 89; Stat. silv. I, 2, 117; I, 3, 95; I, 4, 125; II, 6, 54.

aptus. Tib. IV, 1, 63. Aptaque vel cantu veteres mutare figuras. Ov. am. I, 5, 20. Forma papillarum quam fuit apta premi.

idoneus. Hor. ep. I, 5, 21. Haec ego procurare et idoneus imperor et non invitus. ib. I, 16, 12. Fons etiam rivo dare nomen idoneus. Pers. 5, 20. Pagina dare pondus idonea fumo.

indignus. Lucr. V, 123. Inque deum numero quae sint indigna videri. Hor. ep. I, 3, 35. Vivitis indigni fraternum rum-

pere foedus. ib. II, 3, 231. Effutire leves indigna tragoedia versus. Ov. am. II, 3, 14. Indigna est pigro forma perire situ.
immeritus. Hor. od. III, 2, 21. Virtus recludens immeritis mori coelum.
cautus. Hor. sat. I, 6, 51. Praesertim cautum dignos assumere. Pers. 5, 224. Dinoscere cautus.
celer. Hor. od. I, 15, 18. Vitabis strepitum et celerem sequi Ajacem. ib. IV, 6, 39. Prosperam frugum celeremque pronos volvere menses. id. ep. I, 20. 35. Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
fortis. Hor. od. III, 3, 50. Spernere fortior, quam cogere humanos in usus. id. sat. II, 7, 85. Responsare cupidinibus, contemnere honores fortis.
firmus. Hor. ep. I, 17, 47. Et fundus nec vendibilis, nec parcere firmus.
facilis. Stat. silv. I, 1, 26. Qui nec in externos facilis saevire furores das Cattis Dacisque fidem. ib. I, 6, 67. Huc intrant faciles emi puellae. ib. II, 4, 31. Nunc conviva levis monstrataque reddere verba tam facilis.
comis. Stat. silv. II, 1, 168. Tunc ille hilaris comisque videri?
mobilis. Pers. 1, 59. Nec manus auriculas imitari mobilis albas.
lautus. Pers. 6, 22. Utar ego, utar, nec rhombos ideo libertis ponere lautus.
nobilis. Hor. od. I, 12, 26. Dicam hunc equis, illum superare pugnis nobilem.
blandus. Hor. od. I, 12, 11. Blandum et auritas fidibus ducere quercus.
largus. Hor. od. IV, 12, 19. Spes donare novas largus.
ridiculus. Hor. sat. II, 8, 24. Ridiculus totas simul absorbere placentas.
levis. Hor. od. II, 4, 11. Tradidit fessis leviora tolli Pergama Grajis.
lubricus. Hor. od. I, 19, 8. Et vultus nimium lubricus adspici.
lenis. Hor. od. I, 24, 17. Non lenis precibus fata recludere id. c. s. 13. Maturos aperire partus lenis.
durus. Hor. sat. I, 4, 8. Durus componere versus.
cereus. Hor. ep. II, 3, 163. Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.
niveus. Hor. od. IV, 2, 59. Qua notam duxit, niveus videri, cetera fulvus,

Cum quidem hac ratione, quam in exemplis sub 2. enumeratis cognovimus, usus infinitivi liberior factus esset, etiam aliis vocibus eum adicere poetae non dubitarunt, qui actionis notionem, qua illa vox definienda erat, obiter et simplicissime notaret, id quod praeterea, et accuratius quidem, plerumque fit tota sententia apposita (ut: electus, qui certamina solveret). Ac primum quidem hunc usum ab adjectivis (sub 2 enumeratis vel similibus) transiisse ad participia cognatae significationis, deinde ad alias ejusdem verbi formas, postremum ad locutiones verbi vim habentes (ut: sat est = sufficit), satis probabile est. Pauca autem talia exempla, quae repperi, sunt haec:

a) cum participio: electus. Stat. Aen. II, 337. Electus formae certamina solvere pastor.
  instauratus. Verg. Aen. II, 451. Instaurati animi regis succurrere tectis.
  natus. Hor. ep. I, 2, 27. Nos numerus sumus et fruges consumere nati.
b) cum verbo: mereor: Stat. silv. II, 1, 223 Non timuit meruitve mori (cf. supra immeritus mori).
c) cum verbo circumscripto: sat est Verg. buc. 4, 53. O mihi tam longae maneat pars ultima vitae spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta. („Quantum" enim est subjectum, „dicere" complementum).

B. De usu infinitivi substantivi loco positi.

Exempla, in quibus infinitivi usus a solita oratione videtur abhorrere, sunt haec:

1. Infinitivus legitur **subjecti** loco cum praedicatis:
  est. Cato. r. r. pr. Est interdum praestare mercaturis rem quaerere. Com. rel. p. 131. Ad spectacula est videre, in testu quantum sit caput. Plaut. Persa 69. Atque est etiam in ea lege adscribier. id. Most. 1102. Consulere est igitur quiddam, quod tecum volo. id. Truc II, 6, 20. An me maleficio vincere est? Lucr. II, 960. Nam quare potius leti jam limine ab ipso ad vitam possit collecta mente reverti, quam quo decursum prope jam sit ire et abire. Hor. epod. 17, 25. Neque est levare tenta spiritu praecordia. id. sat I, 2. 101. Paene videre est, ne crure malo, ne sit pede turpi. ib. I, 5, 87. Quod versu dicere non est. (ib. II, 5, 104. Est gaudia prodentem

vultum celare). Tib. I, 2, 24. Tunc mihi non oculis sit timuisse meis. id. IV, 3, 3. Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes.

fuit. Lucr. IV, 840. At contra conferre manu certamina pugnae et lacerare artus foedareque membra cruon re ante fuit multo, quam lucida tela volarent.

deest. Tib. IV, 1, 100. Tum tibi non desit faciem componere pugnae.

prodest. Stat. silv. II, 5, 1. Quid tibi constrata mansuescere profuit ira?

obest. Lucr. V, 180. Quid obest non esse creatum?

relictum. Stat. silv. II, 1, 55. Nobis meminisse relictum.

ortum est. Lucr. V, 1248. Nam fovea atque igni prius est venarier ortum, quam saepire plagis saltum canibusque ciere.

natum fuit. Lucr. IV, 833. Nec fuit ante videre oculorum lumia natum.

jacet. Lucr. IV, 763. Praeterea meminisse jacet languetque sopore.

tenet. Lucr. IV, 1173. Nec tenet omnia paullatim tabescere et ire ad capulum.

venit. Pers. 6, 38. Postquam sapere urbi cum pipere et palmis venit.

cum **adjectivo** apposito:

Pers. 1, 26. Usque adeone scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter? id. 5, 53. Velle suum cuique est nec voto vivitur uno.

2. Infinitivus est **objectum** verbi transitivi:

cogito Cato. r. r. c. 3 Aedificare diu cogitare oportet (sc. patrem familias).

nihili facio. Plaut. Persa 224. Nihili facio scire.

amo. Plaut. Poen. I, 2, 100. At ego amo hanc. — At ego esse et bibere.

mitto. Ter. Heaut. 900. Mitto jam amplexari atque ausculari; id nil puto.

cum **adjectivo** apposito:

vendo. Pers. I, 121. Hoc ego opertum, hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo Iliade.

3. Infinitivus **cum adjectivo apposito e praepositione pendens:**

Pers. 1, 9. Tunc quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste adspexi.

VITA.

Natus sum ego Petrus Adalbert Hugo Merguet prid. Cal. Febr. 1841 *Pillariae patre optimo Adalbert et matre dilectissima Amalia e gente de Schulz Fide evangelica reformata educatus eique addictus sum. Anno* 1857 *scholam Insterburgensem, quam per tres annos frequentaveram, relinquens in primam gymnasii Gumbinnensis classem receptus ex eodemque gymnasio anno* 1859 *cum maturitatis testimonio dimissus Academiae Albertinae prorectore magn. Sanio civis factus et apud facultatem philosophicam nomen professus sum.*

Docuerunt me per tres annos et dimidium prof. ill. Rosenkranz logicen, psychologiam, aestheticam, philosophiae et litterarum historiam Franco-Gallicarum XVIII. saeculi; prof. ill. Lehrs encyclopaediam philologicam, Graecorum antiquitates, litterarum Graecarum historiam, doctrinam metricam Horatii satirarum, Thucydidis interpretationem, grammaticam Graecam; prof. ill. Friedlaender Romanorum antiquitates publicas, litterarum Romanarum historiam, mythologiam Graecam, quaestionem Homericam, archaeologiam, topographiam urbis Romae, morum historiam Romanorum aetate Caesarum, res Pompejis effossas; prof. ill. Nesselmann linguam Sanscritam; prof. ill. Giesebrecht res M. Lutheri tempore in Germania gestas; prof. ill. Nitzsch criticam fontium Romanae historiae; prof. ill. Zacher carminis de Nibelungis interpretationem, metricam Germanicam, prof. ill. Glaser ethicam Aristotelis; dr. doct. Herbst Shakespearii interpretationem, linguam Anglicam, Franco-Gallicam, Italicam, Hispanicam, Franco-Gallicarum litterarum historiam. Denique seminarii philologici exercitationibus interfui omnibus; item exercitationibus philologicis, quas instituit prof. ill. Friedlaender.

His omnibus viris nec minus illis, qui antea litteras me docuerunt, gratias ago quam maximas semperque gratiam habebo.